

No 2
No 3

3

PRO-RECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
HENRICVS BODINVS,
Serenissimi & Potentissimi Regis Bo-
ruß. Consil. Eccles. in Ducatu Magdeburg.
& Prof. Jur. Ordin.
vna cum

PROFESSORIBVS RELIQUIS
Cives Academicos

Ad

Memoriam Resurrectionis Jesu Christi
pie ac deuote celebrandam
Omnes atque singulos humanissime hortatur
ac inuitat.

Litteris Orphanotrophii.

c.

3.

BRORACGOR
ACADENIÆ HIRBERGENE
HEINRICAS BODINAS

scilicet in 1584. Petrus Milius Regius Bo-
dinus, Comptroller of the Royal Workshops
of Paris, son of Gaspard Bodin.

PROFESSORIAS REI MILITARIS

Quæs. Acquisitio. et
admodum difficultas. et
admodum difficultas.

M. Henricus Bodinus. R. Comptroller of the Royal Workshops
of Paris. son of Gaspard Bodin.

admodum difficultas. et

admodum difficultas.



Tην δύναμιν της αναστάσεως της Χριστού!

Cives Academiæ Dilectissimi!

Basis & fundamentum, quo fulta generis humani salus nititur, est Christi, pro eius peccatis ad necem traditi & immolati, viætrix atque triumphatrix Resurrectio. Vere autem Dominum Jesum tertio post mortem die vi-vum surrexisse, primum & facile est ex Scripturis ita demonstrare, vt oppositionibus scepticis via obsepiatur, a) A-bunde enim prouidit Deus, vt rei, ordinarium naturæ cursum ex-cessuræ, omnibusque modis magna & admirandæ, & in qua tum demonstrationis amoris diuini, tum justitiae ac beatitatis hominum cardo verteretur, firmam & indubitatem fidem conciliaret. Ad hanc quippe faciendam Prophetarum prædictionibus b) sat nu-merosis, immo etiam horundem actionibus c) & perpessionibus, d) figurisque & e) typis variis, rem futuram belle adumbrantibus, viam sibi muniuit. Atque in eum finem Henochum f) prima mun-di ætate, secunda Eliam g) viuos in cælum transtulit, ne illis tem-poribus deessent testes prodromi vitæ immortalis beatæque, ad quam ætate tertia Christus per suam resurrectionem aditum esset patefacturus. Hic vero quem Dei Filius esset, at in terris infirma & imbecilla natura nostra induitus degeret, ipsa diuina virtute, Resurrectionem & Vitam h) se esse, demonstratus, verbo aliquos in hanc vitam, vt facti veritas ab omnibus explorate cognosci pos-set, revocauit; & quod maius est, sese animam positurum, eamque

A 2

tertio

- a) Morn. de Ver. Rel. Christ. c. 34. Grot. de Ver. Rel. Christ. lib. 2, §. 6. 5
7. Huet. Demonstr. Euang. prop. 9. c. 142. p. 937. seqq. b) Pf. 16. 9. 10. II.
6. 18. 5. 6. seqq. c. 41. 9. seqq. Ies. 50. 6. 9. c. 53. 8-12. Hos. 6. 2. 3. c. 13. 14. conf.
I Pet. 1. 10. 12. &c. c) 1. Reg. 17. 21. 22. 2 Reg. 4. 32-35. d) Jon. 2,
1. seqq. e) Num. 17. 23. Gen. 22. 9-13. coll. Hebr. XI, 19. f) Gen. 5,
24. g) 2 Reg. 2. 11. h) Iob. XI, 25. c. 14. 6.

tertio die, secundum Scripturam, reiunturum esse, i) mature discipulis, populo, hostibus ipsi simet infensissimis, & his quidem, ut id eius signo ac testimonio irrefragabili, vere se Messiam esse, k) pollicitatus est.

Neque disertam hanc prædictionem euentus est frustratus. Vtique enim tunc, si præmissioni exitus non respondisset, Christus cauila cecidiisset; at postquam hic verbo eius plane fuit consentaneus, is ipse firmissime id, quod comprobare debuit, obsignatum, ac stabilitum iuit. l) Etenim mortuorum in vitam reductio haud dubie potentia infinita adscribenda, ac proinde non nisi a præpotenti Numine exspectanda est. Vnde nec ullus umquam Pseudo-Propheta alium hominem, nedum ipsum se excitauit; &, licet non defuerint, qui eiusmodi quid sibi temere adsumerent m), statim tamen vanitatem pollicitationis irrita rei exspectatio redarguit. Veri autem & maximi Prophetæ haud illustriiori documento, quod essent omnino a Deo misi, quam mortuorum excitatione, agniti fuerunt. Itaque etiam Dominus Jesus primum quidem aliorum mortuorum, deinde vero sui ipsius, post necem sibi illatam, in vitam restitutione, se esse illum, quem se professus erat, nempe Christum, Dei Filium, luctulentissime & abundantissime euicit.

Hoc est enim veritatis (vt rem altius repetamus) signis in terra editis haud erant contenti, saltem, vt sua dissidentie caussam obtenderent speciosam, poscendo signum et cælo, suspicionem populo suggestore conabantur, illis Christi operibus posse delusionem ac fallacias subesse; licet isthac eius naturæ insque septa circumstantiis essent, vt ne illa quidem iis præfigiarum suspicio inhærescere posset. Quamuis igitur postulato huic nefario & insidioso tum quidem Christus haudquaquam annuendum duxerit, quum seruire signis libidini populari, nedum indurata malitia,

^{deindeq; invenimus quod in aliis scripturis non posse nullum}

OPUSCULUM

A

i) Job. X, 17, 18. c. 12, 24. 32. 33. c. 14, 19, 20. 29. c. 16, 16, 22. Matth. 16, 21. c. 17, 22. c. 20, 18. 19. c. 26, 1. 32. Marc. 8, 31. 32. c. 9, 31. c. 10, 33. 34. Luc. 9, 22. c. 18, 31-33. coll. c. 24, 46, 47. k) Job. 2, 19. Matth. 12, 39. 40. Luc. 11, 29. 30. coll. Matth. 27, 63. l) v. Grot. I. sup. cit. in Bar Cochab. Euseb. l. 4. Hist. Eccl. c. 8. David Eldanid, de quo in Sebchet Iehuda vid. R.D. Ganz p. 135. 292. 300. 301. Polychronius Presbyter & Monachus Monothelita in Syn. Constant. 3. sec. 7.

nullisque umquam miraculis fidem habiture, a maiestate & sanctitate diuini munera alienissimum fuisset; suum tamen in vitam reditum spopondit, tamquam signum omni, quod illi forte poposserent siue ex terra sive ex celo, sublimius & eminentius, & non nisi ab eo praestandum, qui omnem celi potentiam in manibus suis haberet. Hoc, hoc, ait, genti illi peruersissimae datum iri signum, nullius impostura suspicioni obnoxium. Etenim in Deum, sibi vince tantum opus vindicantem, nulla admissa fraudis suspicio cadit, sanctitate obstante; ea vero nec in creaturam, magnitudine operis vires eius longissime superante, derivari potest.

Quod si autem in animum quis forte inducat, fieri tamen potuisse, ut Deus Iesum in vitam restitueret, verum non ad comprehendendum, etiam esse Christum, sed ad pertinentados homines; is cogitet, nullam prorsus huic suspicioni mentem ac rationem inesse, quem Deus signa ipse minime queat edere ad homines in perniciem eorum tentandos, sed ad eos ad fidem perducendos & in ea confirmandos. Quo accedit, ne hostes quidem Christi, licet eum immane quantum oderint, id suspicatos aut adfirmare ausos esse. Tanta scilicet est impia hujus suspicionis absurditas. Tentationem insuper a Deo immitti aut permitti, qua nulla ratione superari posit, sed cui intellectus humanus etiam lumine divino illustratus necessario succumbat, quis animo concipiat? Istiusmodi enim tentatio, vt pote modum excedens omnem & insuperabilis, nec sapientia Dei nec bonitate & justitia ejus digna est, nec cum ea conciliari potest, immo ei modis omnibus repugnat. Nec sane Deus sibi ipse adeo aduersari potest, vt signorum omnium diuinorum fidem, cuius gratia ea omnia patrat, e medio ipse tollat. Tollerat autem omnino, si signum cunctis, quæ umquam mortalibus concessit, excellentius & sublimius fidem non ex se mereretur, sed potius in temptationis ineluctabilis discrimen optimos quosque, Deumque ex animo fide venerantes, ipso ejus auctore volente & cogente, adduceret. Istiusmodi enim signo si minus tuto crederetur, ipse Deus deinceps neque in profundissima terræ totius altitudine, neque in supremo celi fastigio signum, cui homines tuto fidem adjungerent, impetrare posset; maxime cum (quod procul absit!) in Christo eos fecellisset, quem tamen eo fine excitauisse & misisse & glorificasse testatus est, vt

A 300. 1111 (a) per

per eum homines ad fidem pertraherentur, ea que Deo honorem
veritatis & bonitatis deferrent. In illas autem angustias se rede-
gisse liberissimum potentissimumque Numen, cogitatu perabsurdum est nefandumque. Quocirca, vt hostes Christi conquisi-
verint omnia, quæ ad subuertendam Christi auctoritatem condu-
cibilia crederent, eo tamen yesania non processerunt, vt eum
surrexisse quidem faterentur, at resurrectionis signo negarent suf-
ficiens probandi robur inesse. Quin potius eo omnes animi co-
natus duntaxat comparauerunt, vt cauerent, ne discipuli forte
corpus ejus tollerent, ac deinde resurrectionem mentirentur. Hanc
enim futuram minime suspicabantur; alioqui omnino fidem &
doctrinæ & omnibus miraculis, quibus illam firmatum iuerit, fa-
ctoram.

Dum autem cautionem, quæ cogitari potest, maximam adhibent,
ne villa Christi asseclis via pateat, eius resurrectionem cum aliqua
specie probabili fingendi, imprudentes se in arctos & inextricabi-
les subito laqueos ipsi induunt. Id enim genus hominum ne quin-
gentorum n) quidem testium unanime de resurrectione Christi
testimonium admissurum, attamen de eius veritate, saltem in
conscientia, conuincendum omnino erat, siquidem ea semel illi
in signum ab ipso Christo data fuerat. Oportebat itaque vt alia via
sic constringeretur, vti, si auderet aliquando testes genuinos
mendacii insimulare, intra conscientiam tamen suis se irretitum
casibus sentiret, nec haberet, quo testantium fidem labefactaret
aut eluderet. Quid igitur? Ridentes jam Christi prædictionem
de sui e mortuis excitatione ceu vanissimam, nec villa ratione dig-
niam, a cuius impletione sibi metuerent, & haec tenus rerum sua-
rum prorsus securi Pilatum conueniunt, o) quid Iesus, quem sce-
lerate impostorem vocabant, futurum jaetauerit, quum in viuis
esset, ei exponunt, orantque, vt, donec tertius elapsus esset dies,
militari custodia sepulcrum communiret, ne forte discipuli illius
corpore per dolum malum sublato, deinceps falsam in vulgus fa-
mam spargerent, eum esse e mortuis excitatum. Nec difficulter
a Pilato impetrant, vt ex cohorte ipsis jam tradita, (ytpote festis
illis diebus in templi porticibus excubante) quot vellent, mili-
ties deligerent, iisque monumentum, qua fieri ratione optime pos-
serat.

n) 1 Cor. 15, 6. o) Matth. 27, 62. seqq.

ser, seruare studerent. Tantumne immo vero præterea, ne quidquam debita cautionis reliquum faciant, sigillum ad sepulcri ostium adponunt, sic, quasi dedita opera, historiam typicam Danielis in fossam leonum proœcti o) in Antitypo repræsentantes.

Atque ita tandem res suas prorsus in tuto collocauerant, vt jam animo otioso & seculo possent in vtramuis aurem dormire. Iam enim nunc a fraude pariter ac violentia nihil supereft periculi. Ecce quæso! supra terram custodes adiutum armati, negligentia aut perfidia poenam, si lædi quauis ratione sigillum permiserint, morte luituri; subterraneus porro ad sepulcrum accessus nullus, nec metuendus, eo quod istud nouum & in petra excisum effet. Itaque illi turæ modo tranquillæque res omnes. Tertius dies modo expeſtandus; tum educenda ad monumentum ciuitas univerſa vna cum omnibus in vrbe hospitantibus, vt suis conspicentur oculis mortuum cadaver eius, qui se jaectarit tertio a morte sua die vitam esse recuperaturum, quem vbi videant vita & sensu carente, putrescere, foetere, tum demum agnoscant suo merito esse morte multatum, erroremque, quod is Christus fuerit, penitus deponant. Hunc nimirum Proceres Iudeorum sperabant fabula, quam putabant, finem fore.

Quid autem? Illucescit dies tertius; at repente summo manœ illorum se oculis fistunt milites, quibus monumentum commiserant, inexspectato eos perterrefacientes nuntio, horribilem subito factum esse terræ motum, auolutum ab ostio monumenti faxum, ista vi cælesti se fuisse inferiores, angelico fulgore in humum prostratos, metuque propemodum examinatos; vix fesejamjam collegisse, vt, dum factum esset recens, id denuntiarent, ne forte ipsi in aliqua suspicione ponerentur, quum omnis culpæ essent exhortes, nec, si per ipsos stetisset, admissuri vñquam fuissent, vt sigillum aut monumentum ipsum ab ullo mortalium vel leuisimo tactu violaretur.

Ita hostes Christi peractæ jam rei, quam venturam minime suspiciati erant, testes habent oculatos: quos si perfidia aut negligenter reos putent, in sua tenent potestate, vt Pilato eos tradere possint ad exprimendam veritatem tormentis, eosque, fontes si deprehendantur, suppicio adficiendos. Ast verentur, ne isti,

fi

si videant in capita sua crimen verti, abesse omnem suspicionem
propulsent, aut morte veritatem eorum, quæ dixissent, constabili-
lant. Quo factō caussam suam præudent multo pejorem fore.
Quam enim, re integra, fraudis a discipulis Christi facta actio-
nem aut exceptionem, qua jure, qua injuria, habuissent, constitutis
ad monumentum excubiis jam reddiderant irritam. Quid porro a-
gerent, si ipsi custodes rem, ut gesta esset, Pilato exponerent? si,
rebus omnibus diligenter examinatis, infantes illi reperirentur, &
tamquam vacui ac liberi ab omni culpa sententia judicis absolu-
rentur? aut, si necarentur quidem, at a semel dictis minime dis-
cederent? Sic carpit Deus sapientes huīus facili in ipsorum versatia, q)
qua res suas ad optatum exitum perducere moluntur.

Arque ita hic jam capti sunt captores; qui quidem confessim
in senatum coēunt, sed inter sacrum saxumque hærent, nec, quid
agant, sciunt. Veritati viētrici manus dare recusant, ut quod ma-
xime, animis callo insanabilis indurationis pridem obductis. At
nec dubitant, quin, si cœscent, si nihil agant, res in Collegii sui
dederent, ignominiam ac perniciem propaletur, & fama de Iesu
e mortuis suscitato mox strenue tota vrbe discurrat. Quid ergo
confilii? En, senatus consulto decernitur, mendacii cum custodi-
bus in eundam esse societatem, eosque argento deuinciendos, ut
causentur, dormientibus ipsis, discipulos venisse, & clanculum
corpus Iesu abstulisse. Dictum ac factum, fecerunt hi accepta
pecunia, sicut erant edociti; id quod ita deinceps apud Iudeos
percrebuit.

Itane vero custodes ajunt, venisse discipulos Iesu & corpus
eius abstulisse? A se ipsiſne hunc sermonem proferunt, an eum ab
aliis acceperint? Antea sane jam primarii Sacerdotes & Pharisæi
Pilato dixerant, se mettere, ne veniant discipuli Iesu nocte, & surrentur
cum. Siccine ipsa loquutio fabula: huius auētores non subindicat?
Ad milites quidem Romanos, nisi forte a Judæis edocatos, nemo
prudens eius originem retulerit.

Quid autem hoc militum sermone absurdius? se dormitasse,
& tum discipulos venisse. Quæso, si dormierunt, qui oculis
tam acutum cernere potuerunt, ut spoliantes sepulcrum discipu-
los obseruarent, eosque acie sua ab aliis quibusuis hominibus in-
ter-

q) i Cor. 3, 19.

ternoscerent? Et si, vt ferunt, nocte res contigit, vbi vix a vigilantibus vultus hominum res suas agentium cognoscuntur, plane absonum & ridiculum est, cognitos ab opresis somno fuisse.

Forte autem dixerint, sese strepitu tandem excitatos, illos observasse jam a monumento digressos, ac prædam suam asportantes. Damus hoc facile, sine strepitu rem peragi, in primis lapidem tante molis amoueri haud potuisse. Damus etiam hoc, strepitum eo esse debuisse majorem, quo fuerint plures, qui lapidem remouerint, & qui suffecerint corpori deportando. Ipsi namque dixerunt, venisse discipulos, non vnicum, sed plures. Adde, momentulo temporis exiguo illos negotium perficere nequiuuisse, in primis vt involucra corporis Christi, sudarium & institas, explicarent & disjungerent. Non mirum itaque, si quidem dormiuissent, experreatos esse custodes. Verum ista, quæ concessimus, jam per se omni sermonem custodum probabilitate priuant. Si autem, postquam experreatos sunt, videbunt retrocedentes discipulos, qui eorum, qui tergajam obuerterant, vultus contemplati sunt, vt discipulos Jesu agnoscerent?

Largiamur etiam hoc, istos habitu corporis, vestitu aliisue notis fuisse ab aliis hominibus distinctos; oportet tamen eos a custodibus haud procul absuisse, quos isti, plena licet Luna, tam perfecte noscerent. Illi vero, tanto corporis examinati onere prægrauati, effuso se cursu, qua ad fugam pateret via, proripere haud potuerunt. Cur ergo, quos conspicati sunt milites oculis, pedibus non sunt insecati? manibus non comprehendenderunt? ablatum corpus non eripuerunt? Manifestum vtique est, illos, nisi abjecto onere, fuga sibi consulere non valuisse. Quis igitur tam expers mentis est, vt arbitratur, ita se aduersus inermes gesfisse armatos milites, militarium legum rigorem haud ignorantes, vt, quos suis vidissent oculis, abire sinerent, non apprehenderent, de manibus amitterent?

Illud ipsum vero, quod dormierint, ideo verisimile non est, quod plures fuerint custodes; quos quis credit sese ad vnum omnes somno, tanta securitate dedisse, vt, veluti lethargo affecti, eorum, quæ tam operose agerentur, nihil perciperent? Ut demus vero, isthuc fieri potuisse, hoc querimus, an credibile sit, custodes, ablata, sese dormientibus, re sua custodia commissa, capit

fuo non metuere, vsque adeo, vt ipii, quasi re præclare gesta, id narrent, & in vulgus efferant, se in somnum incidisse, & interea rem fidei suæ traditam sibi erectam fuisse. Hoccine sperare possunt se impune laturos? Quis igitur metum poenæ animis militum exemit? Enimuero confili sunt sponsoribus suis in hunc modum loquutis: *Si apud Presidem delati fueritis, nos cum placabimus, vos autem securos prelabimur* (q).

Consideretur autem, quantopere Sacerdotes primarii ac Pharisæi de actionum suarum cursu deflexerint subito, & quasi nouum sibi repente ingenium induerint. Paullo ante enim, Christo humato, sollicitudine & nauitate, qua poterant, summa id agebant, vt falsum de Iesu e mortuis suscitato rumorem sua prudenter & Præsidis Romani auctoritate præuerterent. *Vtimum enim hunc, ajebant, errorem priore tetrorem fore, isthoc argumento Pilatum etiam expugnantes, vt custodias, vt lapidis obsignationem, vt quiduis concederet, quod ad seruandum monumentum pertinere.* Nunc vero militibus indignissime efflatione sua digressis ac dilapsis, præterea criminalem soporem suum narrantibus, & discipulos Iesu furti arguentibus, Ieso insuper sigillo, amoto etiam lapide, patente confectui omnium sepulcro, & quod caput rei erat, absente corpore Iesu, ita frigide agunt, ita penitus languent ac torpent, quasi haec omnia ad ipsos nihil attineant. Nec milites nec discipulos Christi, quorum saltem aliqui ipsis non ignoti esse poterant, in quæstionem postulant. Neque etiam Josephum Arimathæensem, horti ac monumenti dominum, aduocant, quem, si credidissent furtum discipulorum, sceleris complicem suspicari poterant. Quid obsecro cessant, ybi corpus ablatum delitescat, indagare? Quod quis arbitratus fuisset eos ex ipsis tenebris eruturos, ne, si illud diutius desideraretur, perniciosissimus, quem crediderant, error omnium animos occuparet, neque, si jam aliquos perturbare coepisset, radices ageret & inualesceret, immo ne ipsi a credula gente flagitosi erroris damnarentur, & perpetua crudelis in Iesum Nazarenum, qui, impie ab ipsis necatus, virtute diuina ad vitam rediisset, parricidii infamia notarentur?

II-

q) Matth. 28, 14.

Illane patiuntur, tacent, iquiescunt? Interim augetur fama de Christo suscitato, concursare, qui se disciplinæ eius tradiderant, incipiunt, reciproco sibi applausu inuicem gratulantur; hi dicunt: *Surrexit; illi regerunt: Vere surrexit, visus est huic, illi; hoc, illa ex ipsis ore audita sunt verba.*

Fac, harum rerum nihil ad aures Sacerdotum ac Pharisæorum peruenisse; at enim quinquaginta post dies cum incredibili parhesia discipuli Christi in medium procedunt, & Petrus communio loquens nomine propalam ait: *Hunc Iesum suscitauit Deus: cuius rei omnes nos sumus testes* (r). Neque eiusmodi sermonibus plebem duntaxat imbuunt, sed eadem fidentia compellant Primores populi & Seniores Israëlis: (s) *Notum sit omnibus vobis & toti populo Iudaico, per nomen Iesu Christi Nazarei, quem vos crucifixiis, quem Deus suscitauit ex mortuis, per hoc, inquam, nomen istum adflare sanum in vestro confeatu.* Virum enim claudum ab utero matris suæ,prehensa manu eius dextera, Petrus erexerat in nomine Iesu, in perfectam sanitatem restituerat (t). Quid ad hæc omnia Iudeces Judæi? Nihil aliud, nisi quod minaciter interminetur discipulis, ne post hac velli homini loquantur in nomine isto (u). At cur non expoliant admissum furtum? Cur ad obiectam Christi Resurrectionem nihil respondent? Cur, manifesto jam videntes, rem ad ingenrem ipsius religionis conuersationem spectare, non postlimonio vel nunc tandem ad questionem milites deposcunt, qui disperparant, abstulisse discipulos corpus Iesu? Nouerant jam certissime, aliquothominum millia Iesum pro Christo agnoscere, persuasione de Iesu suscitato quotidie plures illis aggregare, famam, dubitare non poterant, pari efficacitate ad inumeros peruersuram, refinguendi eam nulla spes, remedium nullum supererat, nisi producerent milites illos furti a discipulis facti testes, hos atque illos inter se committerent, & tandem quoquis modo rem planam facerent. Verum in judicio alta sunt de corpore per furtum ablatu silentia. Non potuissent non loco tam opportuno, pro insito animis odio, discipulis tantum scelus exprobrare. Ast sycophantiae admisæ conscientia eos coërcebat. Facile enim præuidebant, per causam cognitionem exactiorem, ac discipulorum

B 2

apo.

r) Ad 2,32. s) c. 4,10. t) c. 3, 2-16. u) c. 4, 18.

apologiam ipsorum innocentiam, suum vero facinus nefandum in apricum iri productum. Neque fortasse tam stupidi erant, vt inanitatem concinnati a se mendacii non animaduerterent. Hoc autem in rationem versa necessitas illis extorserat, vti scenam *vt-* cunque mutarent, factis fucum illinerent, multitudini imperit*z*, quam crederet, fabulam suppeditarent, suamque auctoritatem, ne plane concideret, quo possent fulcro, sustinerent. Et haec-
nus, *vt videbatur*, prospere, sed in tertiorem auctoritatem suorum reatum, consilium ceſſerat. Nunc vero, vbi res in lucem judi-
cii deducenda erat, arctioribus tenebantur laqueis, neque in mendacio suffugium tuto quari poterat. Nil igitur supererat, quam *vt indicta causa* discipliſſimamente damnarentur, cedarentur, minis grauiſſimis terrentur, ne porro conſiterentur & prædicarentur, Jesum a mortuis esse excitatum.

Hæc, *Cives*, studio pluribus sumus prosequuti. Tendunt autem ista omnia eo, *vt inde dispaleſcat*, quemadmodum Christus secundum Scripturas e mortuis fūſcitar, & ex hoc ipso signo Jesus, quod esset Christus, etiam ab ipsis hostibus agnoscit debuerit, ita sapientiam diuinam res omnes, ipsasque in contrarium nitentes hominum pessimorum machinationes ad eum finem admirabili ratione conuertisse, *vt non modo illius discipulis*, sed etiam ini-
miciſſimis, Scriptura veritas in Jesu tamquam Christo per resurre-
ctionem impleta, liquidissime & irrefragabiliter constaret, & hi vere *αιτιολόγητοι* cognoscerentur, quippe ne tum quidem impugnare veritatem desinentes & confessores eius persequi, quum ea Sole meridiano clarius animis eorum illuceſceret, & suos conſcientiis relucentibus radios objiceret. Et in ea nos etiam incidi-
mus tempora, quibus eiusmodi veritatis euangelicæ ex ipsis hi-
storiarum sacrarum circumstantiis luculentior demonstratio non, modo propter Judæos, sed ob aliorum etiam scepticismum profanum, aliorum vero corruptas prauo commercio x) mentes necessaria videtur.

Enimuero possemus nunc ad reliquas pertransire circum-
stantias, quibus historia Resurrectionis Christi memorie prodita-
est, considerandas; possemus argumenta inde ad statuminan-
dam

x) *1 Cor. 15, 33.*

dam illius veritatem promere ; possemus testimonia eo, quod custodes perhibuerunt, longe grauiora, quæque a Deo comparata fuerunt non ad homines praefrætos intra conscientiam conuincendos, sed ad designatos Resurrectionis testes officio suo aptandos, in medium proferre, & eorum valorem exceptione omni maiorem ob oculos ponere ; possemus tandem, qua ratione ipse Deus Resurrectioni Christi testimonium præbuerit signis & prodigiis, variisque virtutibus & Spiritus S. pro diuina voluntate distributionibus, & quod neque ex historia, neque ex ratione, aliqua specie, ad derogandam signis illis fidem quidquam adferri possit, deducendo ac declarando persequi. Verum hæc, & si quæ sunt alia huc pertinentia, his ipsis diebus solemnii Resurrectionis Christi celebrationi destinatis publice dicentur, explicabuntur, ad viuidam fidei amorisque Christi praxin fundandam roborandamque, quantum licebit per gratiam eius, a quo dependent singularitatem nostræ momenta, traducentur.

Ceterum Vos, o Noſtri, jam nunc exhortari instituimus ad meditationem Resurrectionis Christi debita cum veneratione intentioneque animi subeundam, nutriendam verbo, fouendam fidei pietatisque constantia, atque in perennem animarum vestiarum salutem inter preces ac suspiria conuertendam. τὴν δύναμιν τῆς ἀστεροῦ τῆς Χριστοῦ i. e. vim ac virtutem Resurrectionis Christi. Vobis initio huius Programmatis sumus comprecati. Quo voto, facto ex animo, ad Paulum respeximus, in sua ad Philippenses epistola y) adseuerantem, se huc contendere, vt vim illam ac virtutem Resurrectionis Christi agnoscat. Etenim Apostolus, qui habuerat anteacto in Judaismo tempore plurima, de quibus secundum carnem consideret, ad Christum deinde conueritus & Spiritu eius conlustratus, insignem præ illis omnibus notitiæ Christi prærogatiuam intellexerat. Proinde τὸν ὑπερέχον, ceu ipse vocat, cognitionis Christi, seu eminentiam & excellentissimam eius dignitatem modo exquisitissimo Philippenſibus prædicat, ne aliqua forte adumbrata religionis specie per malos operarios inducti, ab Apostolica doctrina illibata puritate discedant. Redund-

dante igitur affectu, quam sive reliqua omnia præ hac Christi cognitione contemnenda, ostensurus, pristina cuncta, quibus gloriatuſ fit, ſe nunc dampnum ducere ac pro ftercoribus habere, παρησιαζόμενος ait, quo Christum lucrifaciat, in eoque prorsus exigit, & abdicata ſua, diuinam iuſtitiam per fidem Christi conſequatur teneatque. Sic dilatato in eminentia agnitionis Christi prædicatione animo, tandem vnius eiusdemque deſiderii ſignificatione, Christi & virtutis Resurrectionis eius, ceu indiſſolubili nexu coniunctam, agnitionem, & una cum ea per pereſionum eius communionem complectitur. Tandem vero palmam ſibi poſt extantatum fidei certamen accipiendo, vi mortis ac Resurrectionis Christi, in ſua beatifima e mortuis reſurrecſione praefituit. Hanc, hanc, quam Paulus agnouit, vim ac virtutem Resurrectionis Christi peroptamus, vt etiam Vos cum animis veſtris, non modo per hos dies festos, ſed per omnem vitam, commentemini, eam faluberrima conſideratione penſitatis, ipſoque ſenſu, viuido & ſpirituali, in animarum veſtrarum pacem, gaudium ineffabile, falutemque ſempiternam illam ipsam experiamini.

Quod ſi obscurum & ab intelligentia veſtra diſjunctum videatur, qua & qualis illa Vis Resurrectionis Christi fit, ad quam Paulus adſpirauerit, agite dum, paucis id explicatum dabimus. Variā ſane & multiplex illa, ſi, duce Scriptura, in ſe conſideretur, dici potest.

Et primum quidem ea est Resurrectionis Christi Vis, ut tum longe minori negotio, tum multo efficacius homines de anima immortalitate & de Resurrectionis poſſibilitate conuincat, quam demonstrationes philosophice, quamcumlibet accuratae & quorumuiſ captui accommodatae. Certe hoc in genere laudem merentur inſignem, cum alii, tum præcipue Cudvorthus in opere aduerſus Deiftas (z), & Robertus Boyleius in peculiari Scripto de Poſſibilitate Resurrectionis. Atenim, ut in eiusmodi legendis demonstrationibus haud inanis ſumatur

ope-
z) *The True Intellectual System of the Universe. Lond. 1678. Some Physi-ſe-Theological Considerations about the Poſſibility of Reſurrection. Ed. libellus Lond. & affixus alteri affinis argumenti, c. T. Sonec Confidemtions about The Reconcileableness of Raafon aut Religi- on. 1675.*

opera, illarum tamen ea est conditio, vt, quamdiu mente arte
comprehensæ continentur, ideaque recenti intelligendi faculta-
tem implent, animo quidem rem persuadeant; quamprimum au-
tem connexio illa rationum, in qua demonstrandi vis ac robur
ineft, qualicunque conteritur obliuione, ipse simul adsensus,
quem antea illis præbuit, sensim labefactetur, tandemque euas-
nescat. Ast longe alia estrarior illius conuictionis, qua ostensam
veritatem Resurrectionis Christi consequitur. Huius enim de-
monstrationem ea Spiritus S. εὐεγέρτης comitatur, vt per illam
hominis, nisi is prefraetæ veritati obliuetetur, voluntas vna cum
intellectu adficiatur, animusque, fidem & spem vitæ perennis
obtinenda inde hauriens, vere reuiuiscat. Quo factò animus
non modo sensum veritatis agnitæ ac suauiter degustatæ, quo im-
butus semel est, ope diuina seruat, sed etiam plus plusque eum
viuidum, augeſcentibus gratia donis, in feso experitur. Iſthuc
autem de quamlibet solida, per rationes alias ex aliis argute nexus,
demonstratione gratis tibi pollicearis. bb) Ita sane, si Vis &
Virtus Resurrectionis Christi contendatur cum vi demonstratio-
num philosophicarum, tantum illa huic antifat, quantum lux te-
nebris, & serenitas nebuloso diei. Minime autem hoc dicere
volumus, Paulum adducto in loco hoc respexisse.

Deinde Vis Resurrectionis Christi intelligitur, si Euangeli-
um de Christo suscitato ad Legem comparetur. Quæ compara-
tio ab instituto Pauli aliena non est; sed ei potius conuenit. Com-
memorauerat enim Philippenibus, quæ in Judaismo habuerit,
de quibus confideret, præcipuamque gloriandi materiam ultimo
loco collocaueratin eo, quod in feruatione Legis judicio homi-
num fuerit irreprehensus (cc). Humanæ autem huic iustitiæ
mox τὴν ὑπερέχονταν eminentiorem hanc & sublimiorem, nempe
diuinam, quæ ex agnitione Christi & Vi Resurrectionis eius obti-
neatur dd), confert & anteponit; quin immo gaudet & exful-
tat, se non amplius suam aliquam agnoscere iustitiam, operibus
Legis innixam, sed diuinæ per fidem Christi reddi participem.
Etenim ex operibus Legis nulla caro in conſpectu Dei iustificatur. *Inſtitutio*

vero
bb) R. Cudworth Serm. on 1 Cor. 15, 57. Lond. 1676. cc) Philipp.
3, 6. dd) v. 9. 10.

vero Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt ee). Is enim traditus est morti propter offensas nostras, & suscitatus ad nostri justificationem ff). Est itaque haec Resurrectionis Christi duxus, vis ac potentia, ut nos justos reddat in conspectu Dei, quod per Legem nullam, ne diuinam quidem, efficitur: quia data non fuit lex, que posset viuiscare, h.e. homines natura spiritualiter mortuos excitare, eosque viribus ad Legem perfecte seruandam impertire; alioqui utique ex Lega effer justitia gg).

Quae adhuc de Vi Resurrectionis Christi in medium protulimus, includuntjam & comprehendunt quodammodo id, quod seorsum nunc de ea porro dicendum videtur, nimirum, Vitam quoque spiritualem, quam natura & ex se nemo habet, ei exesse acceptam esse referendam. Etenim, sicut modo intelleximus, Paulum negare, legem datam esse, cui vis viuiscandi insit; ita is ipse, vna cum reliquis Apostolis, eam viuiscandi virtutem Evangelio de Christo e mortuis suscitato adserere consueuit. Ideo ad Romanos inquit: hh) Sic cum Christo plantati coauimus assimilacione mortis eius, etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemos. Et in sequentibus ii): Quod mortuus est (Christus), peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere Deo in Christo Iesu Domino nostro. Ad Ephesios autem ita scribit: kk) Deus nos vna viuiscavit cum Christo, unde suscitauit, & una collocauit in celis in Christo Iesu. Ad Colossenses item II): Cum Christo suscitati esis per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitauit eum ex mortuis. Vosque mortuos in offensis & praeipio carnis vestre cum eo viuiscavit, vobis condonatis omnibus offensis. Et deinde: mm) SI RESURREXISTIS CUM CHRISTO, superna querite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Porro nn): Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Postquam autem CHRISTUS, VITA illa NOSTRA, manifes tus factus fuerit, tum & vos cum eo paratis gloriosi. Mentre autem Apostoli in his & aliis eiusmodi dictis ut recte percipiamus, iuuabit considerare singularem plane solatique plenissimum eius de-

ee) Rom. 3, 20. 22 ft) c. 4, 25. gg) Gal. 3, 21. hh) c. 6, 5.
ii) v. 10. II. kk) c. 2, 5. 6. ll) c. 2, 12. 13. mm) c. 3, 1.
nn) v. 3, 4.

¶ 17 ¶

de morte Christi sermonem, quum ait (oo) : *Si unus pro omnibus mortuus fuit, ipsi omnes mortui sunt;* q. d. Quum omnes homines peccatorum poenam morte luere debuissent, at pro omnibus unus Christus, vicem illorum subeundo, mortuus sit, piaculum pro offensis eorum factus; posthac non possunt non isti omnes, pro quibus Christus mortem sustinuit, censeri ac reputari, quasi ipsi jam sua morte debitam peccatis suis poenam persoluissent; atque cojure ac priuilegio, vt tales a Deo reputentur, etiam ipsa re frumentur, quotquot fide vera cum Christo coaluerunt. Ista nos auctem ad Resurrectionem Christi nunc in hunc modum accommodamus: *Si unus pro omnibus surrexit (pp), ac vita cœlesti potitus est, ipsi omnes suscitati ac vita participes facti sunt,* h.e. Quum Christus non solum propter offensas nostras traditus sit morti, sed etiam in nostri justificationem suscitatus sit (qq) & ad vitam redierit, sane etiam deinceps ipsi omnes, pro quibus Christus non modo mortuus est, sed etiam surrexit, haberi & existimari debent vita illius participes, ita, vt cuncti illi, qui per fidem, quæ & ipsa Virtuti Resurrectionis huius debetur, cum Christo coaluerunt, capite illo suo rediuiuo, ipsi quoque, ceu membra, vita eius in illa fide vere gaudent ac perfervuantur. In eundem sensum Petrus, *Regnuit nos, ait (rr), (Deus) in spem VIVAM per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in eam puta spem, quæ Vi Resurrectionis Christi reddita est VIVA ac VIVIDA, non modo quod ea spes per Resurrectionem Christi certa & indubia, ideoque viuidior, reddita fit, sed etiam quod Christi suscitati & ad dexteram Dei sedentis VITAM per Spiritum eius viuiscum in se complectatur fide ac possideat.* Vnde sit porro, vt iam Christus, qui est spes nostra, in nobis ipse vivat, in intimamque sui ac bonorum suorum omnium communione nos, Vi suæ Resurrectionis, conglutinatos secum per fidem intromittat. Quæ exposita est hac & superiori consideratione Vis ac Virtus Resurrectionis Christi, ea est, quam doctrina Apostolica præcipue vrget, & cuius ὑπερέχον Paulus in primis in dicto illo ad Philippenses cordi habet, ceu fundamentum, cui quidquid virtutis

C

Euan-

oo) 2 Cor. 5, 15. pp) 2 Cor. 5, 15. Rom. 8, 34. Ebr. 6, 20. qq) Rom.
4, 25. rr) 1. Ep. c. 1, 3. coll. v. 21.

Euangelicæ hominibus obtinet, superstruatur. Etenim Christum
haud recte agnoscit, quisquis isthanc Vim Resurrectionis eius fide
non amplexatur. Manet is suò in reatu ac morte; vitam vero justi-
tiamque ex Resurrectione Christi minime hauriens.

Prono autem jam alueo ex ista consideratione cognitio eius
quoque Virtutis Resurrectionis Christi promanat, qua Renati, &
in conspectu Dei Justificati in Renovationis & Sanctificationis negotio
donantur beateturque. Paulus certe, vbi Vim Resurrectionis
Christi tendentem ad justificationem exponit, ex illa statim necesse
re hanc solet, quæ Renovationem efficit. Veluti enim radix ab
arbore est distincta; sed arbor a radice, si virere ac frugis aliquius
spem facere debeat, ressecanda non est: ss) Ita distinguenda vti-
que Vis Resurrectionis Christi, ad nostræ Justificationem spectans,
ab ea est, quæ vitæ ad voluntatem Dei formandæ inservit, minime
autem hæc ab illa diuellenda ac separanda est; immo nec separa-
ri potest. Ut enim succus in arbore non remanet, nisi ex radice
attrahat; ita nec Vis Resurrectionis Christi ad Vitam pie inspi-
tuendam porrigitur, nisi ea prius ad justificationem porrecta sit,
indeque se ad sanctificandum hominem diffundat. Quandoqui-
dem vero nobis ob debitam breuitatem jam integrum non est, fuse
istam Resurrectionis Christi Virtutem explicare; Lectores remit-
timus ad Ep. ad Rom. cap. VI. & VIII. it. ad cap. I. II. & III. tam in
Epistola ad Ephesios, quam in ea, quæ ad Colossenses scripta est;
vt alia Scripturæ loca nunc prætereamus. Nec vero pudeat nos
eorum meminisse, quæ ex Catechismo hac de re pueri didicimus;
vbi Redemtionis Christi, eiusque ex mortuis Resurrectionis finis
ac virtus aureis hisce describirur verbis: Alſdah̄ ich sein eigen sey
und in seinem Reich unter Ihm lebe und Ihm diene in ewiger
Gerechtigkeit/ Unschuld und Seligkeit/ gleichwie Er ist auferwe-
cket vom Tode/ lebet und regiert in Ewigkeit. Nimur Redem-
tione sumus peculium Christi tt); hinc nostra ad seruendum ei
augetur obligatio; verum τὴν δύναμιν, seu facultatem officium
nostrum praestandi, capimus ex illius Resurrectione, morte mini-
me exculfa. Ita demum homo vitam vere Christianam capessit,
Christo inseruiens, non assimulata virtute, qua nihil est magis vitæ
Christianæ contrarium, neque externa qualicunque disciplina
sed deriuatis ex Christo justitia, pace & gaudio in Spiritu Sancto uu).

Ita

ss) Job, 15, 4. tt) Tit. 2, 14. uu) Rom. 14, 17. 18.

Ita quis demum bona arboris instar fructus bonos ac Deo gratos, succique spiritualis plenos, ceu e radice sua prouenientes, in veram corporis Christi spiritualis utilitatem largiter profundit. Quantum distat ab Occidente Orients, tantum haec, que sola Christiana ex vero vocatur, vita ex Christo ab externa quacunque & honesta viuendi ratione, siue hominis Ethnici aut Judaei, siue incrustata nomine Christiano distat. Qui colere diuinam hanc vitam instituit, non modo ad studium bonorum operum, quæ fides profiguit, est accensus, xx) sed ad communionem etiam per perspicuum Christi subeundam, Vi illa Resurrectionis Christi, animum comparat, adeoque morti, quæ aculeum in Christi Morte ac Resurrectione perdidit yy), quin potius ipsi Resurrectioni mortuorum per fidem obuiam procedit: id quod, præter testimonia Scripturæ alia, Pauli nos verba docent in loco nostro ad Philippenses zz).

Enim uero filiam meditationum ingressuri essemus, si finiteremur variam illam & multiplicem Resurrectionis Christi Virtutem, Renouationis studium excitantem, sustentantem ac promouentem pro amplitudine sua declarare. Charitati enim, Gaudio, Paci, Fræcubitioni, Benignitati, Bonitati, Fidei, Lenitati, Continenzia, quos fructus Spiritus Apostolus Galatis aaa) proponit, & reliquis, quos Scriptura ad horum classem alibi refert, viuidæ, in Christo fundatæ, fidei fructibus producendis ac maturandis suam Resurrectionis Christi Vim ac Virtutem confert. In iis igitur non tantum meditationem, sed exercitationem etiam quotidianam vniuersitatisque, qui animum Christo addixerit, verfar oportet ac decet, vt magis magisque tenor vita omnis euadat nihil aliud, nisi constans & stabilis Resurrectionis Christi fructus.

Attamen, vtur eximia illa sint, & tum vberiori consideratione dignissima, tum vero maxime in praxin enixe conuertenda, Vis Resurrectionis Christi in iis minime terminatur. Eo enim Capitis Resurreccio spectat primario, idque ultimo efficit, vt membra etiam suscitentur ad introendum in æternum Regnum, Vitamque & Gloriam in illo sempiternam, quam Caput iis promisit, ac Resurrectione sua donauit etiam aperuitque. Atque eo Paulus quoque & in sua ad Philippenses Epistola bbb) alibique, & in primis in Cap. 15. Ep. 1. ad Corinthios Virtutem Resurrectionis Christi extendit.

Quid-

xx) Tit. 2, 14. Rom. 2, 7. Gal. 5, 6. yy) I Cor. 15, 55. 56. zz) c. 3, 10. 11.
aaa) c. 5, 22. bbb) c. 3, 10. 14.

Quidquid autem est Virtutis gloriofissimi huius triumphi
 Domini ac Seruatoris nostri, vt in animos vestros, *Cives*, demit-
 tatur altius, his ipsis diebus, memoria ac celebrationi illius con-
 secratis, curæ iis erit, quos ad hoc munus Deus delegit. Nobis
 in præsentia sufficit exposuisse succincte, quæ & qualis illa *divinitas*
 seu Vis Resurrectionis Christi sit, quam non modo innotescere,
 sed etiam imperitiri Vobis cupiamus. Agite jam, considerate
 ipsi cum animis vestris, an ea omnia, in quæ adhuc studia, cogi-
 tationes & actiones vestras contulisti, tanti sint momenti, quanti
 est illa Virtus Resurrectionis Christi. Laudamus artes, diuinæ
 humanasque disciplinas, quibus docendis ornandisque constitu-
 tisimus, magnificimus; sed intra modum. Etenim, licet ea-
 rum opibus exultissimos habeamus animos, numquid, Domino
 nos ad exitum vitæ vocante, proderunt illæ nobis, si illa cælesti
 Vi Resurrectionis Christi careamus? Videte illos Sapientes popu-
 li Iudaici, peritisimos Legis, neque rudes in Scriptis Mosis ac
 Prophetarum, quo amentia ac furoris prolapsi sunt, quum veram
 sapientiam, non *ἐν γνώσει* sed *ἐν δύναμι* consistentem, asperna-
 rentur ac repudiarent. Cruci videlicet *suffixerunt Dominum gloria ccc.* &
 licet a testibus minime suspectis de illius e mortuis excitatione cer-
 ti redderentur, nihilominus tamen perrexerunt veritati aduersari,
 & immanni odio persequi eos, qui illam conserterentur, sique,
 justissimo Dei judicio & ipsi *in peccatis suis morui sunt ddd*) ac perire,
 & in æxterna supplicia secum addicatos auctoritati sua plurimos abri-
 puerunt. Ita semper, licet diversis viis, in perniciem suam ruit
 sapientia carnalis, cruci Christi infensa, historiæ Resurrectionis
 Christi forte non ignara, sed Virtutis eius expers. Vobis igitur,
 o *Nostri*, quam adprecati sumus initio, *τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως*
τὸν Χριστὸν, (*Vim ac Virtutem Resurrectionis Christi.*) eam nunc etiam
 atque etiam commendamus, & vt ad eam vere agnoscendam, si-
 deque non fucosa complectendam, ac induendam animos vestros,
 abjectis impedimentis omnibus, serio ac pie, duce gratia Iesu
 Christi, adiungatis, Vos omnes atque singulos & hortamur & ob-
 testamur. P. P. in Academia Fridericiana Die Anastasi Iesu Christi
 sacro. Anno M D CCX.

ccc) 1 Cor. 2, 8. ddd) Joh. 8, 21.

Ja 3010

Nur für den Lesesaal! (1)

ULB Halle
001 874 462

3



5b

VD 18

WMA



W.M.



3

PRO RECTOR ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ HENRICVS BODINVS,

Serenissimi & Potentissimi Regis Bo-
russ. Consil. Eccles. in Ducatu Magdeburg.
& Prof. Jur. Ordin.
vna cum

PROFESSORIBVS RELIQUIS *Cives Academicos*

Ad
Memoriam Resurrectionis Jesu Christi
pic ac devote celebrandam

Omnes atque singulos humanissime hortatur
ac inuitat.

Litteris Orphanotrophii.

c.